



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Acriores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

Censura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

Do Santo Officio.

CENSURA.

Librum in selectiores Modernorum Controversias à te, Illustrissime ac præclarissime Domine, mihi commissum, quem in Orbis lucem profert Reverendus admodum P. M. Carolus Antonius Casnedi è Societate Jesu, olim in Universitate Mediolanensi publicus Theologiæ Magister, & supremæ Hispanicæ Inquisitionis Qualificator, de primo usque ad ultimum apicem perlegi; & opus sanè pulchrum mihi videtur, & mirabile: Catholicis namque symbolis, morum regulis, ac doctissimis dissertationibus ita est ornatum, & plenum, ut omnis prudentiæ ac doctrinæ fecundissimum videatur simulachrum; nec ulla, nisi sui ipsius, indiget approbatione; nam, ut ait Petrarcha: *Sapientia non eget titulis, per se ipsam clara est*: seu, ut Divus dicebat Ambrosius, *Liber ipse per se loquitur*; & cum nihil contineat contra fidem, aut bonos mores, & prælo, & æternitate dignissimum judico. Ita censui. Ulyssipone in Collegio Domina: nostræ ab Stella die 3. Julij anno Domini 1710.

Petrarcha de Rema. utriusque fort. Dialog. 46. D. Ambrosius.

Doctor Fr. Hieronymus de Santiago Qualificator.

CENSURA.

Volumen istud in Selectiores Modernorum Controversias, à Reverendo admodum Patre Magistro Carolo Antonio Casnedi è Societate Jesu, olim in Mediolanensi Universitate publico Theologiæ Magistro, ac Supremæ Hispanicæ Inquisitionis Qualificatore, eruditissimè compositum, (sic jubente Supremæ Inquisitionis Senatu non minus attentè, quam voluptuosè legi, in illo siquidem (ob ejus jucundissimam claritatem) gratissima invenitur dulcedo, ad instar illius ab Ezechiele (1) alio in volumine adinventæ. Mellis sanè dulcedo, quod iste ingeniosissimus Apes, mirabili genio, & ingenio, varia lectione, & electione, probo, & improbo labore, ad salubriter, ac suaviter humanos condiendos mores, quibus rectè instructi, possint reprobare malum, & eligere bonum, (2) ex selectioribus Doctorum floribus, fabricavit. Dulcedo, potius, inquam, Manna, quæ non solum doctrinarum delectamentum selectiorum habet, sed omnium etiam Doctorum, saporis suavitatem continet. (3) Dulcedo denique Ecclesiæ Sanctæ gutturi aptissimè deserviens, sicut & Sanctæ Animæ, alterius fructus, frondes inter alios reperti, gratissima extitit dulcedo. (4) Opus igitur grandis istius libri, verè scripti hominis stylo (5) rum ex materiæ importantia, tum ex formæ gravitate, tum ex questionum profunditate, tum ex resolutionum veritate, tum ex fundamentorum soliditate, multoties se præbet utilissimum; unde illud quisque doctus, pede potest decurrere inoffenso, uti de Hilarij libris optime Hieronymus scribebat. (6) Multa de illo dicere,

1. Comede volumen istud: & comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce. Ezech. 3. v. 1.

2. Mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Isai. 7. 15.

3. Omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Sap. 16. v. 20.

4. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Cant. 2. v. 3.

5. Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis. Isai. 8. v. 1.

6. Hilarij libris inoffenso decurrat pede. D. Hieronym. in lect. fest. S. Hilarij libris optime Hieronymus scribebat. (6) Multa de illo dicere,